



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-654198-p0001-5

DFG



CONSENSV  
INCLYTAE FACVLTATIS PHILOSOPHICAE  
**SPECVLORVM VSTORIORVM**

Ven  
**Brenn - Spiegeln**  
BREVEM IDEAM  
DELINEANT

ATQVE  
AD DIEM XXIV. MAII A. C. MDCCXXVII.  
ERVDITORVM PVBLICO IUDICIO  
SVBMITTVNT

P R A E S E S  
**M. IOANNES FRIDERICVS**  
**Sebenstreit**  
ET  
RESPONDENS  
**CHRISTIANVS Rästner**  
HERMANNSD. MISN.

---

L I P S I A E  
LITERIS ANDREAE MARTINI SCHEDII.

# AMERICAN TRIDERICAS

卷之三

# CHRISTIANA RIBET


REVERENDISSIMI  
SENATVS ECCLESIASTICI IN SAXONIA  
NOSTRA SVPREMI  
PER - ILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO  
**PRAESIDI**  
DOMINO SVO GRATIOSISSIMO &c.  
ATQVE  
**ASSESSORIBVS**  
**ET**  
**CONSILIARIIS**  
MAGNIFICIS, SVMME REVERENDIS,  
CONSULTISSIMIS, GRAVISSIMIS,  
**VIRIS**  
DE ECCLESIA AC PATRIA MERITISSIMIS  
**DOMINIS, MOECENATIBVS,**  
PROMOTORIBVS SVIS  
OMNI RELIGIONE SVSPICIENDIS  
LEVEM HANC  
**DISSERTATIONEM MATHEMATICAM**  
DEVOTAE MENTIS SPECIMEN  
DICARE AVDET

*humillimus cliens*  
M. IOANNES FRIDERICUS HEBENSTREIT,  
S. S. Theol. St. Alumnus Electoralis.

# MOECENATES ET EVERGETÆ SUMMI



Inlyta hac Academia hactenus parenti  
meo octo filios bonis artibus innutrivit,  
qui neque ad præfixam metam adspirare  
neque nunc plurimam partem publicis mu-  
neribus admoti Deo ac patria inseruire possent, nisi lar-  
gissima munificentia SERENISSIMI NOSTRI RE-  
GIS ET ELECTORIS, CLEMENTISSI-  
MI PATRIS PATRIÆ per Vos essemus suffulti.  
Horum ego ordine quidem ultimus neutiquam tamen  
felicitate ex Vestris beneficiis redundante possemus,  
publice gratissimam ac devotam mentem significaturus  
meliorem occasionem aucupari haud poteram, quam  
præsentis dissertationis academica humillimam obla-  
tionem, qua nemini, quam Vestris Inlytis Nominibus  
debebatur magis. Humillima preces, quas hic subne-  
cto, nihil a Vobis impetrare optant, quam hisce ausis  
benignissimam interpretationem, mihi autem meis-  
que patri ac fratribus tantum in posterum favoris,  
quantum hactenus a Vobis, Domini Gratiissimi, Pa-  
troni maximi, in nos licet indigos fuit collatum.



¶. I.



Athematicæ demonstrationes quo turpius seculis superioribus ab incultis ingenis tanquam nimis perplexæ, inutiles gravique viro indignæ, a morosis vero vitaæ austerioris inculcatoribus etiamnum ut carnales, in seriam pietatem injuriaz totiusque religionis ludibria, (quæ quidem de istorum mathematicorum nugis, quos leges furca dignos censem, ac igne, Cingaros dico, Astrologos, Chiromantæ, & Paracelsi glaucomata callentes vera erunt) proscindi sunt solitæ, eo hodie æque in nostra patria ac apud exterorū majorem quotidie sibi acquirunt dignitatem atque lucem. Quin imo non pauci extra scholam homines acromaticis disciplinis inculti multa cum laude laboribus suis inde arcessunt fulcimenta & compendia, ita ut nova subinde humanæ debilitatis levamina adjuti ope mathematica adinveniant. Mechanica principia jam pridem in omne vulgus dimanarunt, sine proportionis ac divisionis geometricæ adjumento parum proficiunt, qui ligna, ebur, argentum, tractant & inde subtilliora toreumata excludunt, arithmeticam nulla ætas eripiet mercatoribus, inter quos nunc propriam quasi sedem fixisse videtur. Sola optiea huic asserto fidem facere posset, quæ, uti suo ambitu quamplurima complectitur, ita communī vita exhibet omissis generis delicias, multo vero plura & majora commoda. Opticam stricte dictam quis magis experitur sibi utilē, quam pictores, sculptores architecti aliisque technicæ curiosæ cultores? Dioptricæ beneficio hyalurgi ex officinis suis tantum apparatus

A 2

tum

tum sanitati, tum curiositati suppeditant, huic *telescopia*, oculos artificiales, prismata &c. illi alia vītra suis convexitatibus, cavitatibus, variis coloribus oculorum defectus compensantia. *Catoptricis demonstrationibus* debetur, quicquid jucunditatis artifices mira illa varietate speculorum objectas species jam exacte reddentium, jam hinc inde distorquentium, jam contrahentium, jam dilatantium, jam multiplicantium, nobis exhibent. Adeo etiam plebeji & crassioribus operis intenti homines lucri spe magistra philosophantur, quandoque etiam ab ipso eruditorum vulgo magiae naturalis laudem merentur. Quanto cum applausu plebi cistæ opticae, camerulae obscuræ, laternæ magicæ levissimo pretio a circumforaneis exponantur contemplandæ, cuivis non ignotum est. Neque tamen hoc modo quicquam derogatur mathematicis, cum nemo facile sit, qui sibi persuadeat, hæc esse operariorum propria, non autem sapientum inventa, tantum abest, ut systematica cognitione destituti solide indicare possint, quid rei caput sit, in quo formalis ratio consistat, quave via sit incedendum in dimetiendis ac determinandis quantitatibus in quibus omnis cardo vertitur, ut vix fideliter satis ex aliorum penu quædam haurire valeant, & usu proprio comprobata applicare ad suum in quo versantur forum, ceterum de subtilitatibus, quas vocant, parum solliciti.

## §. II.

Jam si quis nobis *speculorum Ustriorum Iciagraphiam* adornaturis obstreperet, quid cathedræ philosophicæ cum re ista technica? disquirant de speculis construendis inter se artifices vitrarii & fusores metallici: responderemus, illos ejusmodi instrumenta fabricando non agere ex proprio ingenio, nisi in eo, quod dimensiones quantitatum ex aliorum præscripto sibi notas applicare sciant aptæ ad finem suum materiæ, sublimorem vero & curatiorem cauſarum determinationem subesse inventioni & disquisitioni solius philosophi, qui in altera parte matheseos (secundum receptam illam divisionem Gemini antiqui mathematici apud Proclum Commentarii in Euclidem cap. 13.) tractat de quantitate terminata, materiis physicis & sensibilibus accommodata vel si malueris conjuncta & immersa. Huc enim cum referantur omnes radii non visuales modos ed & solares atque ignei cum omnibus, quæ circa eos tanquam lineas consideranda veniunt: quidni & istum illorum inter se situm & respectum aliquanto studiosius evolvere fas erit, qui ex natura sua dispositionis ac proportionis in aliquo sui puncto necessario infert calorem intensissimum. Hæc ulterius constituentur extra dubium, ubi in sequentibus omnia quæ circa specula caustica

caustica notanda veniunt ex principiis Mathematicis, ea tamen qua fieri potest brevitate, deduxerimus, atque quantum ex historiarum monumentis colligere licet, probatum iverimus, istud naturæ mysterium a philosophis priuio fuisse detectum. Id ante omnia monemus, huic doctrinæ, ex generalioribus illis matheseos fundamentis, quibus tanquam alis omnis specialior ac sublimior tractatio commodissime vehitur, non parum lucis adfundit, & neminem, nisi qui Arithmeticis, Geometricis ac Trigonometricis axiomatibus satis est instructus, solide intellecturum esse, quæ in hoc Catoptricæ capite, de radiorum incidentia, de varietate superficiei specularis & angularium quos cum ea componunt radii reflexi, de methodo radios reflexos uniendo ut constituent figuram eonicam, de exacta & demonstrativa assignatione verticis hujus coni seu puncti in quo radii ad producendum communem effectum coëidunt, necessario occurruunt extienda. Reliquum quivis facile videt, ad formandum adæquatum speculorum nostrorum conceptum concurrere varia physica, quæ ad evitandam ~~υεταβασιν εις αλλο γέρος~~ brevissimis præsupposuisse sufficiet.

## §. III.

Causa efficiens principalis illius æstus per specula caustica producti est sol vel etiam ignis culinaris, uterque mediantibus radiis, quos more omnium corporum luminosorum in omnes partes dabiles directe seu lineas rectas de se spargit. Soli hi radii excluso omni corporis specularis effluvio invicem concurrunt ad causandum illum de quo sermo est effectum. Notanter ipsum solem & ignem constituimus subiectum operans continuatis scilicet radiis a sui origine ad speculum, & inde porro ablegatis iisdem ad punctum unctionis, non autem aliquam solis vel ignis speciem in superficie speculari depictam & ejaculantem proprios radios, similes quidem illis, qui ab archetypo suo advenerant, novos tamen numeroque ac specie ab illis diversos. Profecto ejusmodi nuda imago & species nimis foret debilis ad causandum tantæ virtutis calorem, non nisi ab ipso corpore igneo sperandum. Non possumus hic non facere mentionem pugnæ illius quorundam opticorum, qua inter se decidere contendunt, quidnam proprie loquendo in speculis visui nostro offeratur, an objecta ipsa, an objectorum faltem species. Nobis prior opinio videtur probabilior, quando statuitur, non speciem, tanquam aliquod accidens speculi diversum a corpore radiante, sed ipsum corpus conspici, radiis ab eo directe ad speculum emissis atque ad ejus contactum pro vario situ plus minus inclinato reflexis eaque ratione ad oculi in justa altitudine a plano

reflectente elevati corporique radiant e diametro oppositi retinam propagatis. Unde nobis videmur objectum videre non in eo puncto ubi revera est, sed ibi, ubi non est, scilicet in eo punto speculi in quo radius allitus aliam directionem subit, atque ad oculum convertitur. Alteram enim sententiam si arriperemus, ultro etiam fatendum esset, æque in concavis ac in aliis speculis non solem ipsum, sed saltem ejus imaginem superficie opposita impressam operari, ut in visus organa, ita & in materiam combustibilem. Aliquam lucem hæc sententia accipit ex natura radii refracti, si vasi injiciatur numinus, & oculus ponatur ibi, ubi nummum modo non videt, infuso liquore apparebit non numini species, sed ille ipse, licet non in loco suo vero. Videantur si libet quæ pro hac sententia differit eruditissimus Jesuita Gaspar Scotus, infra nobis aliquoties citandus in Cursu mathemat. L. 20. c. 2. n. 3. p. 471. ed. Bamberg. 1677. fol. ubi quinque potissimum rationibus eam confirmat. Ista autem lis, quæ intercedit Pythagoreis cum Epicureis & Peripateticis nos non moratur, est enim de luce in relatione ad visum, seu de radiis visualibus, quos illi ab oculo emitti, hi contra & quidem rectius, ita ab objecto emanare, ut oculu fiat merum coloris illuminati receptorium, afferebant.

## g. IV.

Propius ad thema nostrum attinere videtur ut sciamus, quid sensendum sit de radiis ignitis a sole & flamma emissis, in quorum formaliter definiendo in varias partes scinduntur seduli naturæ indagatores, quidam etiam inutilia tricantur. Qui radios dicunt qualitates accidentales representativas objectorum igneorum id potissimum agunt, ut intra terminos generaliores se continendo multa dixisse videantur, licet revera nihil definierint & ad specialiora ne cogantur descendere. Democritus ejusque affecta Epicurus cum Empedocle philosophi in multis laude sua non indigni hic crassius sentiunt, absurditatis tamen haec tenus convicti non sunt. Docent omnia corpora tum per se lucida tum ab aliis illuminata (quod posteriorius probatu est difficillimum cum omnia corpora illuminata potius se habeant ut specula reflectentia lumen alienum) maxime autem solem ita de se spargere radios, ut deripiantur ab illis species substantiales, i. e. atomi & corpuscula tenuissima, quæ in omnes partes ad lineas rectas protrusa causæ sint luminis, coloris, caloris; solem tamen hoc pacto in omnem ævum nequaquam imminui, redire enim istos atomos per universalem aliquam revolutionem ad illum tanquam communem fontem, utimare non decrescit, licet nubes & aquæ subterraneæ ex eo proficiantur.

Arrideo

Arridet ista opinio multis recentiorum, eademque mens est Davidis Doro-  
 donis in Physica s. P. III. Philosophia contracta Sect. II. art. 3. §. 72. p.  
 211. Genev. 1664. nec non Gassendi, qui tamen Epicuri atomos alias re-  
 jicit. Longe subtilius agunt recentiores Peripatetici, qui afferentes qui-  
 dem radios progredi ab objectis rariantibus, hoc tamen ipso quicquam  
 illis deripi negant, quo scilicet statuant commodius radios non esse sub-  
 stantias, sed accidentia educta ex mediis vicini potentia. Clarius veteres  
 Peripatetici mentem suam exponunt maxime Aristoteles dicens L. 2. de  
 anima c. 7. Lux neque est ipse ignis, neque omnino corpus neque ullius  
 corporis defluxus, sed actio medii perspicui, quatenus est diaphanum.  
 Quod vero isti solis radii adeo sint penetrantes & calidi id L. I. Meteor.  
 c. 3. & L. 2. de caelo c. 7. tribuit ejus motui locali (fortasse non ignoravit  
 illum circa proprium axem) & frictioni ætheris ex isto motu pendentis.  
 Faciunt cum magistro suo præ ceteris Philoponus, Simplicius, Scholasti-  
 ci, ex recentissimis Renatus Cartesius, qui rem felicissime explicasse cen-  
 setur, existimando solem motu suo centrali circa axem rapidissimo im-  
 pellere corpuscula subtilissima ætherea (non dicit ærea, quia radius tran-  
 sit etiam corpora solida & vasa vitrea ære evacuata) qua a sole receden-  
 tia & vi elateris sui continuo rursus accedentia producunt lucem & percep-  
 tionem specierum seu visionem. Huic sententiaz obstante videtur, quod  
 ita lumen ad sui motionem requirat aliquid notabile temporis spatium, si  
 per tam infinitam multitudinem particularum ætherearum denum propa-  
 gatio fiat ad nostram atmospharam. Ad hunc nodum solendum Philo-  
 ponus adhibuit similitudinem chordæ fatis tensæ, Simplicius & Cartesius  
 baculi cuius moto uno extremo simul in eodem instanti movetur & alterum:  
 sed non viderunt excipi posse, in adductis similibus id fieri propter  
 partium continuam coherentiam, densitatem, firmitatem, longe alter  
 se rem habituram in æthere corpore tam molli, raro, fluido, facillime con-  
 densabili, columnam ergo ætheream comparandam non baculo, sed spon-  
 giæ aut acervo cineris & farinæ, cuius non statim moto uno extremo  
 movetur & alterum, ubi enim intercedit vacuum, ibi partes neque pressio-  
 ni fatis firmiter resistere neque in unico instanti moveri queunt. Optime  
 necessitatì consulit clarissimus Isaacus Newton in Optice L. 2. Part. 3. prop.  
 2. p. 210. ed. Lond. 1706. quando concedit lumen moveri in certo tempo-  
 ris spatio fatis quidem sensibili & transitu suo in terram infusumere 7 vel 8  
 minuta.

Physicos hæc singula non parum torquent, ubi differendum est de Meteoris, calore, visu & ejus objecto coloribus; mathematicorum parum intereat, quoquaque denum modo emittatur radius, modo illis exploratum sit, quanto cum impulsu allidatur, quaque via resulteret. Hi sua principia si sequerentur, aut Epicuro accederent, aut combinarent sententiam utramque, cum secundum axiomata mechanica fere impossibile sit aërem a sole nuda circumvolutione sine reali exspiratione substantię igneę ita moveri, ut non interruptum continuet radium: nullum enim corpus ab alio localiter quiescente & tantum circumrotato (quale secundum Cartesium est sol) movetur in infinitum, sed tamdiu propellitur, donec recedendo eo pervenit, ubi ab urgente lenissime attingitur cessante omni frictione. Sol igitur ætherem, ubi semel a se repulit, non semper premit, nisi velimus credere, eum in singulo instanti simul se dilatare ad efficiendam aëris pressionem & rursus contrahere ut denuo queat dilatari. At annon æther nisu suo elastico (si eodem pollet quo aër) ipse rursus accedit ad solem? exinde sequeretur quenvis radium esse perpetuo interruptum & titubare: columna scilicet ætherea eo ipso momento, quo elasticitate sua fertur ad suum movens, non potest ab eo propelli; porro duæ vires contra se invicem agentes, uti sol partes se expandere nitentes æquabiliter a se arcet, se potius motu continent quietas; ad hæc frictio corporis circumgyrati objectum mobile non directe repellit, sed secum in circulum rapit. Ex Aristotelis vero hypothesi, qua sol ab oriente in occidentem fertur, radii ex occidente in orientem darentur nulli. Admittamus igitur ex Epicuri & Platonis schola aliquod solis effluvium non virtuale modo, sed reale, quod ætheri admixtum illum movet quaquaversum. Id si satis foret in aprico, facili quoque negotio decideretur quæstio, num calor radiorum, quem satis percipiimus, sit substantia aliqua corporea tenuissima, (spiritualem adhuc nemo dixit) vel certe qualitas peculiaris, lumini quidem immediate connexa, ab illo tamen numero & specie diversa; an potius merus effectus & necessarium consequens lucis ejusque reflexionis & refractionis, qua fiat, ut uniente fese lumine, uniatur quoque calor & augeatur ad inflammandas res combustibiles, quod posterius defendit Johannes Baptista Benedictus Mathematicus Venetus in Disp. c. 30. 31. p. 187. sq. ed. Taurin. 1585. fol. Hlud est certissimum non omnem lucem secum ferre calorem, quod non modo ex splendore lignorum quorundam putrefactorum & cinctelarum, forsitan debili, sed & ex lunæ radiis alias

alias fatis validis patescit. Ob geminam autem rationem lunares radii, licet in se considerati profiscuntur ab ipso sole, ad calefaciendum sunt ini-donei, quia scilicet ad nos reflectuntur a corpore, partim non speculari sed nude opaco, partim sphærico radios acceptos, quo longius illis est recedendum eo magis dissipante & rariores ad nos transmittente, quod natura speculorum convexorum ad oculum demonstrat. Sed linquimus ista justo prolixius non disputanda, annotato hoc unico in tractatione catoptrica non facile prætermittendo, solem gaudere splendore & calore non omnimodo æquali sed constante radiis diverse reflexilibus & refrangilibus v. Newton I. c. L. I. P. I. pr. 2. th. 2. p. 20. Quod fortasse referendum est ad interjacentes partes aëris crassiores, quæ cum sint sphærica & splendida, non possunt non radios hic rarefacere ibi condensare, magnam lucis portionem dissipando. Varia alia de radiis disserti Antonius de Dominis Archiepiscopus Spalatenensis in Libro de radiis visus & lucis edito post Autoris obitum a Bartolo Venet. 1611.

## §. VI.

Hi radii profiscuntur a corpore suo radiosso in omnes partes dabis-les ita, ut singuli se habeant instar linearum rectarum tendentium a centro ad peripheriam. Unumquodque solis punctum mittit infinitam ra-diorum multitudinem quaquaversum & quodlibet punctum soli expositum accipit radios a quovis solis punto, sed non una eademque via; uni-cum quidem exacte perpendiculariter ex medio solis punto, reliquis for-mantibus conum radiosum, cuius basis est in sole triginta minutorum, tan-tus enim nobis videtur solis diameter, quia in sphæra cœlesti nobis tegit optice triginta minuta nonnunquam & ultra. Si autem assumamus inte-gram superficiem, ad quam tendit columnæ seu fascia lucis solaris, tunc ita sentiendum est: cylinder iste lucidus compositus est ex infinitis ejus-modi conis radios, quorum singuli petunt peculiaria puncta superficie, & sibi invicem sunt parallelî hoc est, licet quodammodo se mutuo decus-sent atque intertexti sint, ita ut sinistrum latus unius fecet dextrum alte-rius sibi propinquai, latera tamen inter se, dextra dextris, sinistra sinistris, item axes seu radii a centro solis venientes censendi sunt pro parallelis. Ad quæstionem ergo, num solis radii sibi sint parallelî, distincte est re-spondendum: radii a diversis punctis disci solaris ad unum punctum obje-cti tendentes, non possunt æquivale-re parallelis, sol enim nobis apparet in notabili quantitate; ast radii ex uno eodemque solis punto ad super-ficiem quantumvis magnam imo integrum terræ nostræ hemisphærium di-

recti non immerito censeri possunt paralleli. Proprie quidem & strictissime loquendo nullius corporis sphærici perpendicularares radii invicem sunt paralleli, sed in ipso sui originis contactu se mutuo tangunt arctissime, in progressu divergunt & rarefiunt; in solarium vero radiorum tam exigua portione certe istud notabile non est, propter immensam solis a nobis distantiam, in qua definita variantibus ob eclipticæ eccentricitatem sententiis Tycho eligit 1150., Copernicus 1500., alii bis, ter, septies, decies & quater mille semidiametros terræ. Hæc distantia efficit, ut sol ad terram relatus se non amplius habeat ut sphæra, sed ut discus, in quo ab oculo spectatoris ne minima observetur convexitas & consequenter videatur emittere radios parallelos. Ita & hic non incongrue in censem venit solis magnitudo, quæ, si ex mente veterum ejus diameter capit ultra 5. diametros terræ, 138. vicibus, sin ex mente præstantissimorum recentiorum CXI, ultra 2760. vicibus superat terram, adde quod non integrum ejus hemisphærium nobis appareat. Sicut itaque linea horizontalis longissima æquivalet linea rectæ, licet revera sit curva, quoniam est pars circuli ex centro terræ descripta: ita & radiorum solarium portio non exigua judicatur gignere eadem phœnomena, ac si revera essent paralleli.

## §. VII.

Ex ea radiationis natura applicata ad speculi sphærici concavi præixin, inferre licet, si corpus speculare concavum directe obvertatur soli, sic, ut axis illius sphæræ cuius polare segmentum est illud concavum, seu linea ex medio ejus puncto & umbilico ducta tendat ad centrum, tunc radios omnes illi axi parallelos & toti apertura concavæ perpendicularares judicari posse, singulis autem punctis superficie, quæ situ infinite inter se variant, ad infinitos quoque angulos incidere, polo quidem seu puncto gradus primi ad angulos undiquaque rectos, reliquis ad angulos continuo minores, circa gradum nonagesimum denique, si fuerit hæmisphærium, ad angulum minimum. Quid autor libri illius qui sub titulo Euclidis catoptrica inter Euclidis opera refertur, & alii qui ejus modum radiationis exoscularunt, sibi velint, non video. Ille prop. 31. & ultima dicit, punctum dextri limbi solaris radiat ad sinistrum limbum speculi concavi, & sinistrum punctum solis ad dextrum limbum speculi transeundo per centrum ex quo speculi arcus ductus est, sequitur eum Alhazenus, Vitellio, Cardanus, Porta Mag. I. 17. c. 4. Sed præterquam, quod fallam thesin inde colligant de foco constituendo circa centrum, id omne nullius est utilitatis in tractatione catoptrica, cum radii solares æquipolleant parallelis.

Schot-

Schottus, Curs. Math. I. c. & Magia universalis Naturæ & artis P. I. L. 7. c.  
I. prop. I. theor. I. edit. Herib. 1657. idem prolixe disputat. Radii vero  
ignis culinaris longe aliter irradiant in speculum, si enim ignis appona-  
tur centro, radii omnes incident ad perpendicularium & angulos rectos,  
in extra vel intra centrum, anguli incidentia sunt minores vel maiores.

## §. VIII.

Satis ex his constare credimus, qua via radii solares æque ac alii fe-  
rantur ad superficiem oppositam, cuiusvis figura & quod pro vario super-  
ficiei positu anguli hujus incidentia possint fieri cujuslibet magnitudinis. Neces-  
sarium consequens adductæ theses est, posse radius quemvis a quovis  
loco advenientem a naturali sua tendentia quaqua versum detorqueri, siquidem isthac duo axiomata optica ponantur extra controversiam, primo dari  
corpora, quæ propter soliditatem, opacitatem & polituram radius se ferien-  
tem protinus repellunt; secundo, radius reflexum dirigere a puncto incidentia  
ad illud punctum opposite regionis ubi cum subjacente sibi parte planicie re-  
flectens constituit angulum ejusdem magnitudinis, cuius fuit ille, quem  
constituebat radius adveniens cum reliqua portione plani, seu ut brevius  
effertur, angulus reflexionis semper est æqualis angulo incidentia. Ita radius  
luminis perpendiculariter oppositi, qui incidit in angulo recto cum  
lateribus sui plani, in eo ipso angulo, i. e. in seipsum reflectitur eamque  
regionem repetit, quæ illum miserat, & sic in reliquis. Ut vero in hoc  
probando prolixiores simus necesse non est, concedet facile omnis expe-  
riential convictus, demonstrare id conatur Joh. Bapt. du Hamel Tom. I.  
L. I. Phys. Astron. c. 2. p. 12. sqq. ed. Norimb. 1681. Ad illustrandum faciunt  
varia ex demonstrationibus Mechanicis, secundum quas radius considerari  
potest ut corpus motum, sol ut vis movens, corpus speculare, ut vis  
mortua motui resistens & concurrens ad directionem aliam corpori moven-  
do imprimendam quam quæ fuerat intenta a movente. Auditu dignissi-  
ma sunt, quæ differuntur ab iis, qui peculiarem tractationem instituunt,  
quam vocant Anacampiticam, ubi monere solent de causa, mensura, mu-  
tatione, reflexionis, de figura corporis impaci & resultantis, de resultu  
globorum parium & imparium, si in se mutuo impingunt, de repercussio-  
ne globorum, pilorum, sagittarum aquæ in planum justa duritate prædi-  
tum cadentium. Huc porro spectant, quæ de allisione, reflexione &  
refractione aëris commoti & resonantia inde productæ per Echo di-  
cenda sunt, quam doctrinam appellamus Phonocampiticam.

Qualis itaque superficies exponenda est radiis parallelis e longinquo adfusis, ut ex altera parte reflectantur itidem sibi omnes parallelis? Simpli-  
citer & exacte plana; qualis ut diffundantur? ex infinitis planitiebus in  
gibbum seu hemisphæriuum coordinatis composita, i.e. Convexa vel regu-  
lariter vel parabolice vel conice &c. qualis, ut proprius coëant ac tandem  
in uno punto ad figuram coni se mutuo attingant? Concava, quæ rursus  
nobis concipienda est, ut composita ex indefinita multitudine planorum,  
ita dispositorum, ut ad se mutuo respiciant, ac directe obvertantur uni  
alicui puncto communi, quod est singulorum perpendicularium & vocari  
moris est centrum. Studiose monemus in ejusmodi superficie singula pun-  
cta, quorum tot sunt, quot dari possunt radii incidentes, æquivalere toti-  
dem planitiebus: ad excipiendam enim & reflectandam lineam non requi-  
ritur latitudo notabilis. Fundamentum concursus radiorum a peripheria  
cava proficiscentium in eo positum est, quia immutato alterutro vel pun-  
cti radiantis vel planitiei reflectentis situ, mutatur simul angulus reflexio-  
nis: in speculis concavis a poli punto usque ad limbum continuo variat  
superficiei reflectentis ad solem respectus & quo altius adscenditur, eo mino-  
ribus angulis incidunt radii, ergo & continuo variabuntur anguli reflexio-  
nis, sed quonodo? non crescendo sed decrescendo sic, ut inclinentur ra-  
dii introrsum secundum curvaturam superficie modo descriptam, & dubium  
nullum relinquatur dari intra cavitatem illam cujuscunque ea specie fit,  
ejusmodi punctum, quod sit omnium radiorum communis meta & locus  
ubi singuli vel certe plerique suam efficaciam viribus unitis exserunt, ex  
inde vero ulterius progressi, quia se mutuo decussant, rursus dilabuntur  
& qui a dextris advenerant postea fiunt sinistri & vice versa. Illudque  
ipsum est concavorum speculorum proprium, in reliquis vero tum pla-  
nitis qua talibus, possunt enim aliquot plana ita disponi ut concavo æqui-  
polleant, tum convexis, dari ejusmodi reflexionem ad concursum ten-  
denter & calorem inferentem radiis ex unico tantum loco illabentibus,  
apertam involvit contradictionem. Id quidem ultro fatemur convexum  
zeque ac planum si undiquaque obrueretur radiis illabentibus, multos etiam  
ex illis reflectendo esse uniturum, sed in ea radiorum collectione esset di-  
spendium maximum, e contrario in concavis, de quibus hic sermo est  
magno cum fônore & compendio adguntur radii ad communem aliquem  
locum, de quo specialius determinando mox erimus solliciti, postquam  
materiam ad obtinendum hunc finem maxime aptam brevissimis descri-  
pserimus.

In materia, quæ efformando speculo concavo apta censeri debet, requiritur, ut sit, primo, ne radii transmittantur & pereant, opaca, si non in totum & per se, uti metalla, certe secundum quid & ope alterius, uti vitrum & crystallum, quod per se diaphanum, superimposito tamen alteri illius superficie corpore opaco, æquipollat & ipsum opaco. Observamus tamen, corpora penitus opaca in hoc negotio longe præstare perspicuis, non modo propter præxeos difficultatem, cum arduum opus sit conflare ex substantia vitrea coneavum justæ proportionis ac molis, sed & propter connexa alia incommoda. Radius in vitro (idem etiam judicandum de crystallo & substantia succini, quæ utraque alias apta sunt conficiendis lentibus ustoriis) bis reflectitur, quodammodo a superficie anteriori, maxime tamen a posteriori, quæ immediate redditæ est opaca, ergo hic illi bis pertranseundum est per profunditatem quantumvis tenuem, semper tamen satis notabilem & crassam, quo sit, ut partim debilitetur, partim tam incidendo, quam redeundo refringatur, findatur, distorqueatur, ne ad justum unitonis punctum possit pertingere. Eligendum ergo potissimum est corpus, quod in prima statim superficie opacum, radium semel tantum reflectat atque exacte ad angulum æqualem incidentiæ ableget. Secundo materia specularis sit satis solida & dura, ut firmiter resistat vi adflectendi, eoque ipso valeat lumini alium modum imprimere, quin &, ut possit levigari ac polituræ subjici: excludimus itaque hinc, e regno animali cornua, ebur, matrem perlarum, ichthiocollam, &c. e regno vegetabili omnia gummata, resinas, laccas, ex minerali mineralia quæ vocant media, alumnen, glaciem Mariæ, omnes lapides præter marmor & alabastrum, quæ omnia reddunt quidem aliiquid lucis, radii vero aciem vix non omnem obtundunt.

Qualis fuerit apud veteres lapis ille specularis, cuius mentionem injicit Plinius Hist. Nat. L. 36. c. 22. & ex quo, Seneca referente Epist. 90. fieri solebant specularia ad immittendam concilavibus lucem diurnam ad modum nostrarum fenestrarum vitrearum, num crystallus nativa, num forte giales Mariæ definire non ausim. Tertio esse debet pura, ne lumine & calori detrahatur ipsaque superficies temporis successu aut aëris injurya obscuretur ac corrumpatur ista incommoda secum vehit plumbum imo ipsum stannum, quia propter defectum argenti vivi, quo debebat scatere, & impuritatem admixti sulphuris non satis digesti sedulam polituram respuit facillimeque contrahit maculas ac rubiginem.

Quarto curate levigetur, poliatur, splendida reddatur, hoc est quantum fieri potest a poris & tuberculis liberetur, ne radii iis irretiti, retineantur, dissimilantur ac dissipentur. Quo magis enim superficies fuerit glabra & lubrica eo melius resiliat allusus radius. Quinto sit coloris vividi & candescens, ut radii extrorsum emittantur, non autem contrahantur & versus corporis profunditatem conversi semetipsos perdant. Corpora naturalia fere omnia dicuntur esse composita ex corpusculis minimis quodammodo pellucidis, ex quorum tamen numero excipienda videntur corpora metallica albida, quoniam id omne lucis, quod primam illorum superficiem occupat, in oppositam partem abigunt, idque eo magis præstant, quo apparent clariora. Quod autem color obscurus consistat in non reflexione radiorum, testem habemus quotidianam experientiam, quæ docet, cavernas & conclavia luce repleta, si procul per easdem vias introspiciamus, per quas intrat lux, videri obscura propter radios non extrorsum, sed introrsum flexos; si duæ superficies altera alba altera nigra simul exponantur soli æstivo, nigra maturius calefit quam altera; specula uestoria citius accendunt materiam nigram, quam candidam, asserem hispidum & sordidum, quam levem & albicantem, ex quibus tuto inferimus corpora coloris candidi habere ejusmodi facieculas, quæ lucem appulsam respiciunt. Addi posset, colores sub-fuscos, rubeum, violaceum, viridem, nigrum manifesto arguere aliquam radiorum refractiōnem, quæ fidam reflexionem admodum impedit. Sed & ista relinquimus physicis & opticis discutienda, Quod sexto materia debeat esse tractabilis ad recipiendam quanlibet figuram nemine etiam monitore, quivis facile intelligit.

## §. XI.

Inter omnes materias speculares idoneas ad causandum tam vehementem effectum, qualem expectamus a speculis causticis principem facile locum obtinet aurum metallorum omnium ut perfectissimum, ita solidissimum ac purissimum, cuius tenuissima lamella superinduci possunt alia corpora vel metallica vel lignea vel denique straminea ad obtainendum huncce scopum. Argentum, quo magis reliqua antecellit firmitate, claritate, nitore, eo meliori etiam cum successu huic operi applicari posse censendum est. Æs utrumque, tum rubrum seu Cuprum, tum maxime illud cuius colorem addido lapide calaminari reddidit magis dilutum ac pallidum, Chymici vocant Venerem luteam vulgus Orichalcum, non incommode trahitur in huic usum, quippe quod ope Tartari & Borracis

cis in igne tractatu est facillimum. Chalybs posteaquam opificibus causuit prolixia laboris, efficacia tamen reliquis splendidioribus multum cedit. Commodissimum & usitatissimum est componere ex variis metallis mixturas, quae fieri possunt multifariam; liceat ex Joh. Bapt. Porta Mag. Nat. L. 4. c. 19. p. 577. sq. Versionis Germanicae ed. Magdeb. 1617. 8vo. sequentem exemplaris loco apponere. Assumatur Stanni portio sufficiens, Cupri pars tertia Tartari & Arsenici quantum ad solutionem satis. Vel vice versa cupri portio tripla, Stanni pars tertia, Argenti nonnihil Arsenici q. f. it. Argentum cum Plumbi parte dimidia. Possunt præterea inargentari & inaurari; longe tamen nobiliores compositiones repererunt hodierni artifices & Chymici. De ligneis speculis ex professo agit Andreas Gærtnerus vir multæ artis in peculiari tractatu *Bericht von hölzern Brenn-Spiegeln* ed. Dresd. 1705. 4to. De modo formandi nostra specula & de compendiis, quibus uti possunt artifices in iis conlandis, poliendis & elaborandis, prolixus est Porta I. c. & Scotus in *Technica curiosa s. mirabilibus artis* ed. Heribip. 1687. 4to. nec non in Mag. Univ. I. c.

## §. XII.

Obtenta quantum fieri potest absolutissima radiorum reflexione maxime de eo, quod rei caput est cogitandum, nimirum ubi querendum sit istud spatium angustum, ad quod adliguntur radii, ut vis eorum in se, si ita diffusa maneret, valde debilis, fiat unita fortior. Solent alias & per lentem vitream uniri radii ad producendum similem effectum, sed de isto puncto provaria convexitate utriusque superficie adsignando consulenda iunt principia dioptrica de lumini ex medio subtiliori per crassius transfeuntis refractione, solide præ reliquis de eo agit Pere Cherubin dans la Dioptrique oculaire. Paris. 1671. fol. Hic verores omnis pendet ex dimensione angularum reflexionis, quorum indefinibilis varietas, quæ sequitur tam diversum punctorum specularium ad corpus radians habatum, prohibet, quominus suppeditari possit generalis aliqua de punto unctionis describendo regula. Istud debet moneri in universum, in uno eodemque speculo locum unctionis posse variari, prout utimur radiis vel solaribus propter longinquitatem suam parallelis, vel culinaribus, qui non haberi possunt pro parallelis & angulos incidentia & reflexionis faciunt majores. Si origo radiorum tam propinquus constituitur superficie, ut incidat in locum illum qui antea erat focus radiorum incidentium parallelorum, tum radii reflexi sibi flunt invicem paralleli & unitio omnis perit. Porro focus ubi æstus percipitur non ponendus est in uni-

co indivisibili mathematico, quale est centrum circuli, sed aliquanto latius accipiendus. Avtopsia docet, specula justo non minora solere accendere materiam combustibilem appositam non saltem ad ipsum fumum mathematice delineatum, sed & ultra citraque ad digitos tres vel quatuor, quantus scilicet nobis appareret solis discus, cuius latitudinis causam inventimus in radiorum multitudine, irradiatione & reflexione conica §. 6. descripta, ardoris exorti vehementia, corporis reflectentis imperfectione nunquam ita ex asse emendabili ut fidelissime reflectat, & aëris intermedii non sine refractione radio transiit concedendis crassitie. Ulterius ab hoc foco si facias progressum, cum radiorum densitat esensim quoque immittitur caloris vis, prout etiam in ipsis telescopiis focus non alligatur ad unicum aliquid punctum.

## §. XIII.

Locum concursus & inde dependentis unctionis sufficienti determinatione traditus cogitur ad adequatam enumerationem omnium specierum, in quas dividi possunt specula nostra, descendere & monstrare quid unicuique curvaturae in constitudo peculiari foco sit proprium. Nos, ut legitima methodo procedamus, unctionia specula dividimus in simplicia & composita, illa, quando unum individuum solum sine alterius concursu operatur, rursus sunt duplicitis figuræ, vel enim constituunt partem sphæra analogicæ, vel alterius cuiusdam cavitatis non sphærice, scilicet, aut Parabolæ, quæ propter commodissimum foci situm reliquis omnibus creditur preferenda, aut Ellipseos aut Hyperboles, quarum effectus tamen multo est debilior, usus etiam proinde rarior, nisi fortasse cui placuerit animi gratia, sibi construere suppellectilem unctioniam, crateres, pelves, scaphas. Conum & Cylindrum ab hoc negotio prorsus excludimus, quippe quorum interior superficies congregandis radiis minime est accommodata, ille radios parce satis unit, eainque unionem facit intra sui cavitatem, hic latera habet radiis solaribus, si illis directe obvertitur, parallela, adeoque lucem neque excipit neque reddit, sed liberum ei transiit concedit. Alterum genus scilicet compositorum, in quibus combustio est communis effectus diversarum superficierum specularium concurrentium, rursus in duas classes dispescimus, vel enim corpora, quæ inter se sunt coordinanda, jam extra compositionem sunt unctionia & effectum producunt parum inferiorem illi, qui obtinetur ex compositione, vel, non accedente concursu alterius, desinuntur vi radios condensandi i. e. extra illam compositionem non sunt unctionia. De singulis quedam monere

monere nostrum est, de parabolicis tamen atque ellypticis ultro fatemur, nos illorum naturam jam prorsus exhausturos non esse, cum adæquata hujus doctrinæ explicatio, accurata in coni sectionem prærequirat, peculiare inquit tractationem iconibus illustratam sibi postulet.

## §. XIV.

Sphærica concava superficies, quæ constituit segmentum alicuius globi vel saltim hemisphærii alterutrius, pars enim ad utrumque hemisphærium pertinens est inepta, quo simplicioris est structuræ præ reliquis, eo facilius quoque suum prodit focum. Si corpus radians ut primus fons caloris per specula producti apponenteret ad centrum, tunc radii ex integrâ sphæra & qualibet ejus parte perpendiculariter & in se ipsos reflecentur atque a peripheria ad centrum reversi ibidem causarentur calorem exquisitissimum. Ita, sit lusui venia, si concavum cœleste esset speculare h. e. opacum & splendidum, solisque lux eo pertingeret, nihil impediret quominus omnes radii reverterentur ad primam sui originem scilicet solidem constitutum in centro hujus universi. At vero longe aliter sentendum in concavo sphærico relato ad solis radios, non ex centro istius sphæræ sed e longinquio, non ut perpendiculares, sed ut parallelî, non ad angulos rectos, sed indefinitæ varietatis, advenientes. Concipiamus nobis cavitatem hemisphæricam, ad quam tendit columna radiorum solidorum, de ista asserere licet tot esse diversos angulos reflexionis, quot fuerint incidentiæ, radios reflexos omnes non petere posse unum locum sed per cavitatem a semidiametri dimidio dispergi ita tamen ut multi se arctissime contingant, stricte loquendo ista tantum puncta habere communem inter se focum, quæ eundem angulum incidentiæ eandemque distantiam a puncto poli communem habent, & consequenter tot statuendos esse peculiares focos, quot in isto concavo habentur circuli ex communi polo descripti. Hæc utut vera sint, pro subtilitatibus tamen habenda, quibus in praxi opus non est: nam probatum supra deditimus focum latius patere, & radios in spatio pâlmi coenentes sibi invicem cooperari. Commodissime ergo poterimus istam focorum infinitatem ad numerum quartu[m] redigere, & hemisphærium istud speculare in quatuor potiora segmenta dirimere, quorum unum quodque est speculum causticum sphæricum. In primo foco collecti habentur radii reflexi versus centrum usque infra quartam partem axis, in secundo concurrunt radii petentes quintam partem axis, in tertio, tendentes versus fundum, in quarto, eadentes post umbilicum si segmentum polare foret excisum.

## C

## §. XV.

Primus focus proprius est illi fragmanto, quod constituit latus octogoni seu octavam globi partem 45 graduum circa fundum excisam cuius limbus ubique  $22\frac{1}{2}$  gradus distat a puncto suo medio coincidente cum polo sphæræ. Ratio istius foci hæc est, radius ex polo reflexus fertur ad ipsum centrum, reliqui eo profundius infra centrum transeunt per axem, quo remotius punctum reflectens eos, abest a polo, limbus quia situs est a polo ultra 22 gradus cum radio incidente facit angulum  $67\frac{1}{2}$  gr. & radius suum ad eundem angulum per axem transmittit non parum infra limites tertii & quarti quadrantis, vix non ad quintam partem diametri totius sphæræ. Radii ergo reflexi, si uspiam haberi possunt congregati, profecto id sit infra medium locum inter polum & centrum. Non equidem inficianur altius versus centrum radios magis esse constipatos: sed quantum illis arctiori condensatione accedit, tantum eorum multitudini quæ versus centrum continuo minuitur, decadet, & contrario cum radiis ex limbo adflexis multo plus virtutis additur, quam illo spissitatis defectu detrahitur, & hoc ipsum facit pro sententia nostra, qua supra statuimus focum definiendum esse non per punctum sed per columnam ustoriæ notabilis magnitudinis. Ex quibus ultro consequitur superficiem specularem non oportere nimis esse parvam, ut scilicet spatium foci justa radiorum copia adimpleatur, neque tamen nimis magnam, quia alias nimis profunde est excavanda, ut iusto majora sphærarum suarum segmenta referant, quo sit ut focus eo magis a centro recedat & querendus sit ad quintam diametri partem. Communis praxis multo usu comprobata incurvare solet superficiem aliquot pedum ad 45 gradus: placet tamen sententia oculatissimi Athan. Kircheri qui L. 10. Lucis & Umbræ credit speculum 18 graduum, i.e. segmentum vigesimum sphæræ, subtendens in cavitate sua 18 gr. a polo scil. ad limbum 9 gradus, si nullo alio vitio laboret, efficacia parum cedere maximis, quia hoc modo focus altius adscendit versus centrum minusque spatium occupat. Eodem redit, quod Schotus testatur l. c. prop. 10. construi posse specula quorum cavitas ab uno extreimo ad oppositum alterum sit novem digitorum, ista colligere radios suos in uno puncto vel certe in duodecima parte digiti, ita, ut quicquid ultra 18 gr. additur haberi possit ferme pro inutili ac redundante. Sed experimentorum testimonium in his desideratur, in universum istud inde liquet segmenta minora sphærarum maximarum esse longe aptiora huic negotio, quam segmenta maxima sphærarum minorum, & specula sphærica mensuranda esse & pro

pro majoribus vel minoribus astimanda, non ex quantitate molis suæ, sed ratione curvaturæ & amplitudine sphærarum, ad quas referuntur.

## §. XVI.

Varie nobis hic in assignando foco concavorum hujus generis contradicitur, principio quidem ab Euclide sive quicunque fuerit autor illius Catoptricæ, aliisque qui cum eo faciunt citatis supra §. 7. Hi quoniam radios incidentes exire volunt ex centro (ponimus enim istam esse illorum mentem) non poterant eos non facere eodem redeentes ibidemque operantes, sed corrente illorum fundamento prosternitur omne quod illi superstructum fuit. Deinde nobis denuo res est cum Scoto qui autoritatem Euclidis non violaturus neque etiam experientia contradictrum duplē excogitat focum, alterum unitonis radiorum in centro alterum uisionis intra quartam & quintam partem diametri, admonitus etiam in ea sententia perslitit, fatetur ipse l. c. p. 371. se ex Marii Bettini Apiaro 7. progymn. 3. prop. 8. schol. 3. discere a Grünbergero de hac re fusile dubitatum, quid? quod ipsa autopsia in camera obscura vel aëre fumo aut pulvere replete ipsum docere potuisset, radiorum focus neutiquam differre a foco caloris. Alii mitius, minime vero accurate satis agunt, quando sibi videntur focus inveniisse in confinio tertii & quarti quadrantis diametri seu medio loco inter centrum & polum, in his est Antonius Maginus, qui omnia specula concava modulo parabolicorum, quorum alias extitit artifex insignis, metiri videtur, nec non Hector Ausoni in theorica speculi sphærici concavi. Expressis verbis idem afferit David Gregorius Mathematicus & Astronomiæ Professor Savilianus in præfat. ad Euclidis opera ed. Oxon. 1703. fol. ubi contradicit propositioni 31. Catoptricæ Euclidis.

## §. XVII.

Hæc est natura speculorum causticorum, quæ potissimum sub nomine sphæricorum venire solent, & constant superficie excavata ad modum segmenti sphærici polaris utrinque 18 vel  $22\frac{1}{2}$  gr. ab umbilico: sed nec residuum hemisphærii inidoneum est ad cogendum radios, si enim dividatur in tres partes æquales, evadent inde annuli, vel si mavis zonæ, armillæ, fasciæ, tubæ uistoriæ, vel si quod aliud fortasse nomen significantius, quarum singulæ binas habent aperturas diversæ proportionis & focus peculiarem Illud fragmentum quod sequentes  $22\frac{1}{2}$  gradus continent ac terminatur ad gr. 45. focus habet in apertura sua anteriori & ampliori, seu in ipso initio suæ cavitatis: radius enim reflectitur ex angustiori & po-

steriori limbo ad angulum gr. 67. ex anteriori vero ad gr. 45. adeoque perpendiculariter ad ipsum axem in cuius concursu radii se mutuo secant. Sequens zona a gradu 45 ad 67. ignem suum nimis dissipat & vix producere potest calorem, radii enim ex angustiori limbo petunt axem perpendiculariter, ex prolixiori vero & anteriori, poli punctum ad angulum 23 graduum. Ultimum fragmentum a gradu 67. ad 98. (nonagesimus enim radio incidenti ferme est parallelus) ablegat omnes suos radios post poli punctum, & focum haberet remotissimum, si modo & ipsum radios suos in arctius spatium colligeret. Liqueat ergo has tres zonas sphæricas nomen specularum causticorum vix ac ne vix quidem mereri: at longe major aptitudo inest segmentis parabolicis, quæ amulnant istas zonas. Assumatur parabola, excindatur vertex, qui præbet speculum parum differens, tum quoad figuram, tum quoad focum a priori illo sphærico polari, reliqua tuba dividatur in tria æqualia fragmenta: habebis tres annulos parabolicos ustrios, quorum inferior & angustior habet focum in media cavitate, secundus & tertius post cavitatem a latere superficieis istius annularis, ita tamen ut segmentum ultimum & amplissimum circa basin parabolæ, propter focum maxime remotum, habendum sit pro commodissimo, & hoc est illud quod veteres dixerunt accendere flammam non ante sed post semetipsum. Ratio exactissimæ hujus unionis radiorum ista est: datur in parabolica concavitate, maxime quæ constructa est ad sectionem coni rectanguli & isoscelis (i. e. cujus axis & semidiameter baseos sunt lineæ rectæ æquales in angulo recto) punctum aliquod, vocari folitum, ex comparatione, seu parabolicum, distans a puncto verticis quartam partem lateris recti, a quo figura ista apud veteres appellacionem traxisse videtur. Ex hoc puncto parabolico si ducatur linea recta ad quodvis superficie parabolæ punctum, porro ex illo puncto, ubi ducata linea tangit superficiem, emittatur extra cavitatem linea recta parallela axi; utraque linea recta constituet cum superficie sua duos angulos æquales. Si ergo radii solares sunt lineæ rectæ, non possunt non ad superficiem concavam parabolicam incidentes reflecti ad punctum jam descriptum, & longe arctius condensari, quam a speculo sphærico.

## §. XVIII.

Diximus, dari quoque specula ustoria, quæ titulum compositorum mereantur: compositio est varia, illa tamen quæ fit ex speculis iam antea per se ustoriis nullius est momenti & in ipsa praxi nihil quicquam commodi promittit. Fit illud trifariam vel enim radii prius excepti zona annul-

annulari parabolica post illam immittuntur sphærico concavo ad obtinendum id quod voluit Euclides, ut radii reflectantur in semetipsos atque in centro coëant in quo jam fuerant congregati; vel vice versa ex speculo sphærico infunduntur zonæ parabolicæ, quod suadet Bettinus Apian. 7. prog. 2. prop. 2.; vel binæ zonæ isli parabolicæ, sibi obvertuntur, ut ex mente Bettini fiat speculum Portæ urens ad insinitam distantiam, sive potius ut radii antea collecti denuo emittantur paralleli. Id in universum in ejusmodi compositione notandum, focum unius debere coincidere cum centro alterius. Potest etiam loco alterutrius speculi adhiberi lens crystallina istoria, quippe quæ radios eadem ratione tractat. Speculum planum ubi componitur cum istorio: nihil novi quoad phœnomena accedit, sed sola radiorum directio alteratur, ipsis inter se manentibus parallelis.

## §. XIX.

Longe majoris fructus est illa compositio, quæ non ut prior ista radiis iisdem ludit, coactos dispergit, dispersos rursus cogit, sed diversos ex diversis locis per diversa specula ad unum communem locum adigit. Supra laudatus Isaacus Newton fertur composuisse machinam istoriam ex septem speculis concavis ad unum focum directis, summæ efficacie. Huic fini inserviunt specula etiam plana, quorum certus numerus facile ita disponi potest, ut in unico puncto conjungant radios & tanquam unum aliquod ens per aggregationem, alicui concavo cujuscunque speciei æquivalent, cuius focus sit vel intra cavitatem uti in pyramide istoria, vel remotissime extra cavitatem. Queritur quoniam requirantur plana ad efficiendam unctionem? experimentum cepimus speculis vitreis octenis, calorem sensimus vehementissimum, ita, ut, si conjecturæ credimus, in geminato illorum numero secutura fuisset flamma. Raphaël Miranus postulat ut 24 portiones radiorum feriant unum punctum, si expectari debeat aliqualis uscio; sed quis generaliter hic certum numerum definit? ratio potius habenda, partim radiorum, num sint æstivæ an hyberni, matutini an meridiani, clariores an nebulosi, partim corporis specularis num satis politum, partim materiae combustibilis, partim distantia ad quam fieri debet uscio. Hæc est condensatio radiorum Catoptrica, datur quoque aliqua Catoptrico-dioptrica quando ex duobus diversæ naturæ corporibus altero reflectente altero refringente componitur instrumentum causticum. Superimponatur plano alicui speculo convexuam vitreum solidum diaphanum vel, convexi vitrei pars plana seu basis substrato Mercurio aut alio corpore opaco reddatur specularis, quod, si expo-

natur soli, facit ut radiis duplex accidat refractio, altera, quando ex aere, medio tenuiori incident in crassius, altera postquam transferunt ac denuo retoquenter ex vitro in medium subtilius. Hæc duplex refractio, examinanda secundum præcepta dioptrica, radios non manere sinit sibi parallelos, sed in certo aliquo foco coacervat, qui focus constituitur ante non vero post illud speculum compositum, neque procul a speculo, eo tamen remotius, quo vitrum fuerit depresso & minor pars majoris sphæræ. Isthoc compositum, licet eandem rationem habeat quam lens ex utraque parte convexa, commodissime tamen dici potest speculum compositum ex planite opaca reflectente & gibbo pellucido refringente & uniente radios.

## §. XX.

De vi atque stupendo effectu speculorum causticorum curate fabricatorum specialia monere necesse non est, possimus omnia generalioribus limitibus includere, dicendo calorem istum subtilitate ac vehementia multum post se relinquere ignem culinarem: si tamen cui placuerit illis speciatim tribuere usum Mathematicum, Chymicum, Medicum atque Oeconomicum non refragabimur. Mathematicus iis utitur ad augmentandum suum apparatus opticum, quo res parvæ presentari possunt majores, ut enim specula convexa dispergendo radios inminuunt rerum apparentiam, sic concava figuram amplificant. Quomodo iis, apposito ad focum igne, illustrari possint loca maxime remota & noctu in turri apicibus cognosci literæ, variaque alia, docet Porta Mag. Nat. l. c. Chymicus facilime in foco speculorum parabolicorum solvit metalla, cognoscit rerum elementa, calcinat ossa & cornua. Medicus si in justa foci distantia (in ipso foco enim omnia consumuntur) applicerit membra stupore, nervorum constrictione, luxatione, meatuum obstructione laborantia, ea fovebit, relaxabit, callo contracto liberabit, excitabit, ad aperiet, ad coquere artritidi, doloribus, tumoribus ejusmodi blando igne succurret. Prolixioribus nobis esse non licet, quandoquidem non ignoramus paucis pagellis tantam rem exhaustiendam minime esse, restat insuper brevis & epilogi loco addenda enumeratio potiorum artificii hujus inventorum ac magistrorum. Plura docebunt præter autores supra allegatos Joh. Zahn in oculo artificiali Teledioptrico p. 612. sqq. ed. secunda Norimb. 1702, fol. Christoph. Grünbergerus de spec. istorio verae ac primigeniae sua formæ restituto, Commentatores in Euclidem. Clarissimus Joh. Georg. Lieb knecht dissert. de speculo caustico Jena. 1704. Wolfssius in Mathemat. Wissensch.

Wissensh. P. III. p. 42. sqq. Quorum labores transcribere nobisque defendendos sumere nullius erat utilitatis.

## §. XXL

Speculorum fabrica non est recentiorum temporum inventum, vestigi scriptores de generibus & usu illorum varia habent. Primam hujus artificii detectionem Cicero Lib. 3. de Nat. Deor. tribuit Aesculapio, Plinius autem Hist. Nat. Lib. 33. c. 9. Praxiteli, ubi vetus lectio habet Patisiles. De concavorum autem primo inventore si speciatim quæstio instituatur, facile quidem fatemur illos artifices viam his monstrasse; ast quis primus modum radios colligendi ac vim urendi ominatus fuerit, frustra fortasse in omnibus temporum monumentis queritur. Forsan rideamus, si audemus asserere, Prometheus jam primis a diluvio temporibus habuisse speculum uestitorum, quo suffurari potuerit a cœlo ignem, quæ fabula nota est ex Hesiodo atque Ovidio: propemodum tamen sumimæ necessitatis est hanc explicationem addere, nisi velimus omnem prorsus fidem historicam, quæ nonnunquam abjectis ridiculis circumstantiis satis aperte eluet, ejusmodi narrationibus mythologicis denegare. Quo quæsto alio modo id præstare potuit Prometheus? an per lentem crystallinam? num vitrum & crystallum tunc notum fuisse ulla conjectura doceri potest? Allegorice omnia explicare nimis durum est. Insignem vero physicum ac mathematicum eum fuisse plerique fatentur, maxime illi, qui Astronomiæ inventionem atque ad Assyrios propagationem illi tribuunt. Artifices metallicos jam ante diluvium novimus, quidni & Prometheus specula concava vel ænea vel fictilia efformare potuit, quorum mirabilem effectum plebeculæ demonstrans, accensum istum ignem coelitus detulisse vel, si ita lubet, in cælum adscendisse atque derivatis inde scientiis divinis lucem humano ingenio assudisse creditus est. Dicat pro nobis cau-sam Lucanus, licet invitus, qui testatur Græcos omnes figulos appellasse Prometheos, aliquanto facilis in rem nostram trahi patitur Juvenalis, quando Sat. 4. v. 131. sqq. figulum quemvis, qui est eximii cuiusdam concavi, datinæ, testæ qua tenui muro spatiolum colligit orbem artifex, per antonomasiæ vocat Prometheus. Ejusdem furfuris conjectura colligere ausim, Herculem non ignarum fuisse hujus artificii, si Brigantinis credimus (Flavianum Brigantium dicimus Gallicæ urbem maritimam hodie Coronum Hispanis la Corunna, diversam a Lusitanæ, Galliæ & Germaniæ urbibus idem nunc nomen gerentibus) qui teste Nonio in Hispania c. 54. & Eusebio Niernbergio Lib. I. de miraculosis naturis in Europa, gloriati sunt

fuit Herculem in portu Brigantino exstruxisse turrim & in ea constituisse speculum mira arte fabricatum, ex quo conspicere potuerit naves procul advenientes. Nullum autem speculum prater Concavum, quod simul est causticum, habet vim species remotas & parvas distinctius exhibendi ; nisi velimus id speculum habere vel pro magico, vel cum allegatis autoribus pro fabula orta ex ignorantia vocis speculae quæ denotat turrim & observatorium.

## 6. XXII.

Apodictica quidem certitudine hæc non nituntur, sufficit saltem ea conciliari posse cum iis, quæ nobis magis nota sunt. At Fortunatus Seacchus aperte fallitur Myrothecio I. cap. 8. p. 42. Mosi ejusque operariis tribuens artificium speculorum concavorum. Commentatur ibi ad Exod. XXXVIII, 8. & verba : וְעַשֵּׂת הַכִּירָה נְחַשָּׁת וְאֶת כְּנוֹ נְחַשָּׁת בְּמִראָת הַכִּירָה אשר צִבָּאוּ פָתָח אַתְּ מַעַזְךָ :

sic explicat, Mosen fabricasse vas aliquod æneum aheniforme compositis in concava ejus superficie speculis metallinis, quæ mulieres Israëlitæ tanquam spolia Ægypti sacrificassent Deo cum prima vice accederent ad tabernaculum adorandi gratia. Ita concavo eum usum esse ad accendendum holocausta in altari, antequam ignis facer cœlitus demitteretur. Lubentissime arriperemus hanc sententiam, daret enim probatum, Mosen vel in Ægypto vel ab ipso Deo in monte id edocatum esse, nisi obstat agmen summarum difficultatum, exegeticarum, theologicarum, mathematicarum. Incubit Seaccho probare, פ non denotare locum in quo sit constituendum labrum, sed materiam ex qua, מְרָאָה denotare speculum, cum in aliis locis, Job. XVII, 18, Jes. III, 23, alia voces occurrant, צָבָאת esse mulieres turmatum convenientes, non vero ministrantes in sanctuario uti I. Sam. II, 22. אֲשֶׁר־צָבָאת notare tempus & occasionem collationis materiaæ metallicæ, & non causam, cur ibi collocandum fuerit labrum. Militant quidem pro eo Rabbini & pleræque versiones sed nos merito tuemur versionem B. Lutheri, qui vertit: posuit labrum in conspectu mulierum ministrantium coram tentorio, ut scilicet præsto haberent, unde lustrari possent occupatae servitio: & si vel maxime hæc omnia daremus, nihil adhuc obtinuislet. At annon הַכִּירָה Zach. XII, 6. est speculum causticum? consentiamus interea, licet commodissime ibi intelligatur focus aut fornax, longe tamen diversa ratio est hujus loci: ibi diserte additur שׁ; hic vero subaudiendum מִנְיָה ex Exod. XXX, 18. ubi Moses

man-

mandatum hujus conchæ accipit eum in finem, ut replete aqua ad lavandum. Facit ergo Mosen huic dicto divino non audientem & hanc legem ceremonialem proprio arbitrio migrantem, immo, quod primo loco debebat poni, arma suppeditat antifscripturariis, qui uti in omnibus miraculis sicut hic Mosen fingunt populo imponentem, atque mentientem ignem φέρωντες. Philosophice si rem consideramus, nulla circumstantia hujus **חכ'וֹר** cum speculo caustico convenit, debebat basi sua prædictum esse, **cu**s insistens cavitatem obvertit τῷ Zenith, & in certo loco intra tentorium & altare collocari: ergo focus ad altare pertingere non potuit, & si potuit obvia omnia combussum, adhac supra evicimus specula ista urere ad distantiam nimis parvam; debebat aqua repleri, quæ propter refractionem unitatem radiorum impedit; debebat justam aquæ portionem capere, at non potuit, si pro more causticorum sphæricorum ad summum fuit 45 graduum. Inaudivit fortasse elaborari posse supellectilem historiam, quod supra concessimus, verum non advertit illorum focum esse intra ipsam cavitatem, virtutem vero admodum debilem.

## §. XXIII.

Num Pythagoram inter artifices nostrorum speculorum referre liceat ob varias rationes ambigimus. In confessio est ipsum construxisse mira specula, qua a plurimis pro magicis & nequaquam pro mathematicis habentur, quod exinde colligunt, quia dicatur in disco lunæ legenda exhibuisse, qua sanguine & tinctura ex herbis magicis inscripserat speculo. Sed si pro veris agnoscimus quæ Naudæus in Apologia Magnorum Virorum Magiae suspectorum p. 225. & ex eo Baylius in Dictionario Histor. Critico p. 2444. tit. Pythagoras lit. L. ad ejus defensionem disserunt, necessario & specula ejus, humana arte elaborata, arguunt profundorem scientiam Catoptricam & mathematicis viam straverunt ad invenienda plura alia. Euclides ab elementis suis σορχεων dictus, mathematicorum pater, diversus ab illo Megarensi, Archimedē & Eratosthene antiquior (docuit enim, si Proclo credimus L. 2. Alexandriæ 300. fere annis ante æram Christianam imperante in Ægypto Ptolomæo Lagi) verius habetur pro primo, quem credere possumus artem specularem calluisse. Objicere quis potest, in Optica ac Catoptrica ejus varia non satis accurata, imo evidenter falsa propone: his regerimus, non sine fundamento hos tractatus ex ordine scriptorum illius eximi & appendicis loco adjici, quippe qui non ex illius calamo fluxerunt, sed fortasse ab aliquo discipulorum neque illius mentem satis capiente neque verba ex ore docentis fideliter excipiente fuerunt concinnati. Colligitur id ex Pappi reliqua opera omnia recensentis de his

D

duo.



duobus silentio, ex stylo præfationis, quæ dubio procul eundem auctorem  
cum libris ipsis habet, ex defectu clarioris demonstrationis Eucli in reli-  
quis usitatisimæ, ex alienis & falsis, quæ a magistro obiter allegata & re-  
futata ab auditore autem hinc inde admixta sunt, qualia existimamus esse  
propositiones, 1, 2, 3, 31. Catoptricæ. Ceterum invicte colligimus artem  
speculorum causticorum ab Euclide vel repertam, vel summo studio excu-  
tam fuisse.

## ¶. XXIV.

De Archimede non levis inter historicos lis est, móventibus quibus-  
dam de speculo ejus naves Marci Marcelli exurente varia dubia, histori-  
ca, chronologica, mathematica. Desumi posset ratio dubitandi a silen-  
tio antiquorum historicorum, Plutarchi in vita Marcelli, Polybii Lib. 8.  
c. 8. istam obsidionem Syracusanam & Archimedis machinas hostilem ap-  
paratum destruentes, prolixe describentium, speculi autem ne vestigium  
exhibitum; a contradictione autorum in describendo Hierone tunc tem-  
poris rege Syracusano, quem quidam faciunt Romanis amicum, ut Ma-  
ximus, quidam inimicum & Archimedi propinquo suo omnes quos opta-  
ret sumitus contra obsecatores suppeditantem; a difficultate mathematica  
in confiendo ustorio ad tantam distantiam, scilicet mille passuum operante.  
Inter dubitantes est celeber. Wolffius in Lexico Mathematico p. 1298.  
vid. & Gerh. Joh. Vossius de scientiis Mathem. p. 458. plures narrationi  
contradicentes v. apud celeb. D. Joh. Georg. Walchium in Lexico Philos.  
p. 310. Nos certitudinem hujus narrationis stabilimus testimonio virorum  
sive dignissimorum, Galeni scriptoris seculi secundi qui Lib. 3. de tem-  
peramentis, ejus meminit, ubi tamen Thomas Linacrus contradicit, intel-  
ligens per πύρια Galeni non specula sed lapides pyrites, qui in naves con-  
jecti ignem fuscitarint. Hodie nullum lapidem præter Phosphorum no-  
vimus, qui ista virtute polleat. Integrum Galeni tractatum περὶ πυ-  
ρίων multi suspectum reddunt ac potius illius interpreti Gogavæ adscri-  
ptum volunt. Zonaras Annalium T. III. p. 46. secundum recentiorem ve-  
ro editionem du Fresne Paris, 1686. Lib. 14. p. 55. provocat ad Dionem Hi-  
storicum qui circa annum Christi 230. claruit. Ipse Joh. Zonaras l. c. T.  
II. sed. edit. Parif. L. IX. p. 424. ita narrat: Αρχιμήδης σύμπαν τὸν ναυτικὸν  
τῶν Ρωμαίων παραδόξως κατέπεγε πάτοπτον γάρτι πέδος τὸν ἥλιον ἀνε-  
κέννας τόντο αἰνίνα δύτες ἐστὸν εἰσεβάζαντο παιδαῖς τὸν αἴρεα ἀπ' αὐτῆς τὴν πο-  
νηστην καὶ τῇ λειότητι τὸν καλόπτερον πυρώσας Φλόγας περιέληπτος ἐξέπαυσε,  
καὶ πάταν αὐτὴν ἔστας ναῦς ὑπὸ τὴν τὰ πυρὶς ὅδον ὄρμεσας ἐνέθαλε, καὶ  
πάτας κατέπαυσεν. Johannis Tzetzae verba ex versibus politiciis Hist. 35.

Chil.

Chil. 2. huc pertinentia allegaremus nisi nobis videretur circumstantias mo-  
re p̄tarum finxisse & reliqua ex coetaneo suo Zonara desumfisse. Diffi-  
culturam qua in ætate Hieronis latet sic tollimus, ut vel eundem Hiero-  
nem antea Romanis infensum postea societatem cum iis coluisse, vel duos  
Hierones fuisse credamus, alterum in bello Punico primo, Romanorum  
socium, quem excerpta ex Polybii libris Historiarum in primo statim li-  
mine vocant *πάτπον* seu avum Hieronymi illius, qui ad Hannibalem de-  
ficiens a Romanis cæsus est, alterum in bellico Punico secundo, Romanis in-  
fensum patrem Hieronymi. Quærenti num possibile fuerit facere speculum  
cujus focus tam procui absuerit, respondemus, omnino fuisse peculiarem  
structuram artificem sine exemplo & regios sumitus requirentem, non con-  
cavam sphericam sed vel Parabolicam vel ex plurimis planis compositam.  
Forsitan & autores de distantia navium a mœniis hyperbolice loquuntur, quod  
iude liquet, quia Archimedes machinas suas iis applicare potuit.

## §. XXV.

O admirandam victorianam, quæ inermibus armis fuit obtenta! Ju-  
venalis Sat. II. v. 99. sqq. Othonem ludit, quod in apparatu suo bellico ha-  
buerit specula, sed hic citra jocum maximo hostium damno omnia tor-  
menta bellica superata sunt a speculis. Proclus eadem via, qua ante eum  
Archimedes, ingressus creditur, cum Constantinopolis tempore Anastasi-  
ei Dicori & Euphemii Patriarchæ sub finem seculi quinti a Vitalione obside-  
deretur. Testatur Zonaras T. III. vel L. 14. p. 45. edit. du Frêne, eum  
non modo omnia Archimedis cognovisse, sed & nova quadam adinve-  
nisse, suspensis ergo ad ejus exemplum speculis, naves feditiosorum ab-  
sumfisse. Kircherus in Arte magna lucis & umbræ l. c. dist. 3. probl. 3. ex  
his verbis in plurali de speculis loquentibus recte colligit, Proclum fe-  
cisse compositionem speculorum planorum. Vid. de eo Zwingerus in Thea-  
tro Vitæ Hum. p. 1888. Ubi postea & imprimis ingruentibus seculis bar-  
baris fuerit hæc ars Catoptrica incertum est, vero existimamus sumillimum  
eam cum reliquis scientiis mathematicis delituisse apud Arabes, quod Al-  
hazeni ex seculo X vel XI exemplum confirmat. Orontius Finæus in pra-  
fatione tractatus sui de speculo ustorio testatur, se vidisse autorem incer-  
ti nominis de hac materia, ex Arabicâ lingua in Latinam nimis perplexe  
conversum, figuris quæ tamen literæ non responderint, illustratum no-  
bis videtur ipsum Alhazenum intelligere.

## §. XXVI.

Renaſcentibus ante pauca secula literis, nitoris suo etiam restituta est  
hæc sapientia pars. Inter primos, qui eam ex tenebris protraxerunt nume-  
ramus

ramus allegatum Orontium Finæum Delphinatæ regium Mathematicum Parisiensem natum 1494. qui potissimum Specula parabolica scite elaborare docet in tractatu illis edito Lutetiis 1551. Plures deinde habuit & adhuc habet Gallia artifices in quibus eminent Villetus & Laßon. vid. journal des scavans A. 1679. Mense Dec. p. 322. Theophrastum Paracelsum, qui sub initium seculi decimi sexti claruit pro magistro artis Catoptricæ non agnoscimus, specula ejus, quæ constituit trium generum, si ita se habent, prout describuntur a Bubalo Comment. de angelis. qu. 50. art. 1. & ex ipsius L. 5. de specularum constitutione colligere licet, non fuerunt naturalia & artificiosa sed revera magica ac diabolica. Italis hac in parte multam laudem tribuimus, animis jam est tñius mentionem injicere Joh. Bapt. de la Porta, Neapolitani qui hoc quidem loco sua fama non privandus, attainenuti in multis nimis superstitosus ac fabulosus est, sic & in his inventioni sue plus tribuit, quam erudití sibi persuaderi patiuntur. Magia L. 17. c. 17. tanti facit speculum quoddam compositum a se inventum, ut putet id urere posse ad infinitam distantiam, imo inservire ad pingendas in disco lunæ literas. Verba pro more ejus, quo lubentissime tricatur, sunt obscurissima, divinetur qui ista legit. Explicare eum aggressus est Marius Bettinus in Apianiis l. c. qui tamen mentem ejus non cepit, dum duo specula parabolica pingit, quorum alterum radios a priori in angustum spatium coactos denuo dirimit ac vim eorum annihilat. Schottus in Magia l. c. p. 481. aliam expositionem præbet sed nec illa clarior est. Optimus interpres est Athan. Kircherus in Arte magna Lucis & umbræ l. c. qui istam opinioneim appellat vel arrogantiam vel ignorantiam atque prolixius multo cum sale traducit. Eadem cum Porta censuram meretur Orontii demonstratio duarum linearum semper appropinquantium & nunquam concurrentium quam in titulo citati tractatus jactitat. Nos arbitramur non prius dari posse speculum uestorium ad infinitam distantiam, quam quando invenietur materia quædam specularis nulli igni cedens, qua mediante radii exacte in ipso foco congregati possint excipi ac ulterius ablegari sibi intime uniti ac paralleli non v. denuo divergentes.

## §. XXVII.

Newtoni doctissimi Angli inventum supra laudavimus, jam aliquot nostræ nationis artifices agmen claudant. Christophorus Griembergerus e Soc. Jesu Tirolensis, primo Mathematum Professor in Austria, tandem Romæ, (non confundendus cum D. J. Petr. Grunbergio Theologo & Christiano Grünbergio Mathematico) edidit libellum de speculo uestorio in quo: inventum a se speculum ellypticum docte exponit atque reliquis

iphi-

ipsique parabolico ab omnibus tanti estimato præfert v. Blanckanus in Chronologia illustrium Philosophorum Mathematicorum, & in Appendice ad Aristot. loca Mathem. ed. Bononiæ. 1615. Ob ingeniosissimum id inventum comparatur ipsi Archimedi a Mario Bettino in Ærario Philosophiæ mathematicæ, defin. X. §. 30. p. 75. Bonon. 1648. it. in præfat. Apia. T. I. Nulli horum omnium cœsisse incomparabilem illum Ehrenfr. Walth. & Tschirnhausen, citra adulatio[n]is suspicionem tueri audeo. Tantus fuit ille in mechanicis, opticis, physicis ac re metallica, ut dubium sit in quo magis excelluerit. Maximos impedit sumtus elaborandis speculis causticis eaque ita produxit absoluta, ut sub ipsa aqua materiem inflammare possent, plura fortasse, ut alter Archimedes, detecturus, nisi fata ipsum nimis mature anno octavo hujus seculi patriæ eripuissent. Famam ejus celebrant Acta eruditorum A. 1687. p. 52. Recentissimos non inconsulto prætermittimus, nobis præconibus non egent, ars eorum probat artifices.

## COROLLARIA.

### I.

**L** Egæ naturæ proprie sunt leges non nuda consilia: ratio enim si sana est demonstrative agnoscit obligationem erga Deum sanctissimum ac severissimum monarcham.

**II.** Cabballistæ quando poenas infernales correctivas esse, & die sabbathi cessare docent, partim justitiæ divinæ vindicativæ ex natura notæ detrahunt, partim finem sabbathi ignorant.

**III.** Naturalistæ male docent Theologiam naturalem sufficere ad salutem & monstrare viam reconciliationis cum Deo.

**IV.** Quædam oculorum vitia non a medicis, sed a mathematicis indicari posunt.

**V.** Botanica & Anatomia (prout dicunt nudam plantarum & corporis animalis notitiam contradicuntur)

stinctam Materiæ medicæ & Physiologiæ) absolvunt magnam partem historiæ naturalis: ergo ad exemplum veterum philosophorum a sapientiæ studiosis non sunt negligendæ.

VI. Omnes plantæ sunt foeminæ & semina illarum ovo simillima, constantia ex cortice, quæ a vi externa defendit, cuticula, quæ fibrillis suis succum nutritium attrahit, carne, quæ nutrimentum præbet, & germine seu embryone in ipsa generatione novellæ plantæ (ubi nitrum in terra aqua & aëre latens maris vices supplet) protrudendo.

VII. Vegetabilium divisio in arbores, frutices & herbas, licet sit adæquata, illi tamen, quæ desumitur a florum atque fructuum charactere, multum est postponenda.

VIII. Corpora animantium vere sunt machinæ gravissima enim pondera, quæ a tenuissimis filamentis cerebri mediantibus muscularis ac nervis moventur apertum indicant mechanismum.

IX. Proclus in eo non egit philosophum, quando Anastasio ædificium construxit, in quo a fulmine tutus esset.

X. Ex Paulina comparatione scripturæ cum speculo, i. Cor. XIII. recte quidem colligitur non omnia quæ in Deo sunt nobis esse revelata, male vero, relevationem esse obscuram.

94 A 7342


ULB Halle

004 145 933

3







CONSENSV

INCLYTAE FACVLTATIS PHILOSOPHIC  
SPECVLORVM VSTORIOR

Von

Brenn - Spiegeln

BREVEM IDEAM  
DELINEANT

ATQVE

AD DIEM XXIV. MAI A. C. MDCCXXVII.  
ERVDITORVM PUBLICO IUDICIO  
SVBMITTVNT

P R A E S E S  
M. IOANNES FRIDERIC  
Hebenstreit

ET

RESPONDENS

CHRISTIANVS Rästner  
HERMANNSD. MISN.

LIPSIÆ  
LITERIS ANDREAE MARTINI SCHEDII.